

orificium patebat ; mox tamen , ubi hoc obturatum cerâ & vesicâ suillâ obligatum esset , per supremas primùm commissuras circa I, deinde verò per alias etiam inferiores, aër confertim subrepere cernebatur aquamque , alias sub altitudine certa constitutam in utroque siphonis crure, paullatim deprimere : nunc demum nos malo quodam nostro docens , commissuras superiores , quæ parvulo minùs altæ aquæ ponderi facilè resistere posse videbantur mediocriter communitatæ , majori multò curâ obturandas esse inferioribus , contra ingentem aëris introrumpere conantis violentiam. Nam, quod ante in mentē nondum venerat, quādiu orificium A manet apertum, ut aquam intra tubum aër per hanc aperturam æquè premat ac forinsecus tuborum commissuras urget , huic introitus per angustissimos meatūs ab ipsa aqua desuper pressa occluditur. Verùm, cùm obturato orificio A commercium aëris externi cum aqua supernè intercipitur, solitarium aquæ pauculæ pondus ingenti aëris tuborum latera & commissuras validissimè urgentis pressioni non amplius valens resistere, introitum ipsi concedere cogebatur; ita ut spes nobis fermè decollaret omnis ad perfectionem desideratam perducendi reliquam hanc experimenti partem. Edocti tamen aliis jampridem casibus , quod labor improbus & audendi pertinacia sæpe superet difficultates maximas , cùm quartum jani diem his laboribus impendissemus, duos etiam hebdomadis residuos eidem rei impendere constituimus , tandemque, Bono cum Deo, eò usque perfecimus institutum nostrum, ut, replete siphone ac obturato, apertisque mox epistomiis ad B & C, aqua, fluxu per flexuram A ne tentato quidem , in utroque crure statim decideret paulum infra I v.g. ac tum sensibiliter subsisteret , ita quidem, ut in crure A B tantò extaret altius, quam in crure A C, quantò magis etiam aquæ summitas in vase B super alteram in vase C fuerat elevata ; utrobique nimirum (prout ope bolidis accuratè dimensi sumus) sub altitudine 29. digg. Rhinlandicorum & 1. digitii.




Fig.  
20